# Норов Авраам Сергеевич
# (1795-1869)
## Собрание рукописных книг

43 л. 4

Шифр Норов.
№ к 48.
№ 24.

815-09/418

Струве
Отто Васильевич.

Письмо
к Норову, Авраамию Сергеевичу.
1852 мая 10 1 п. 4 лл.
Пулковск. обсерватория.

Латинск. яз.

Нал. 1 пакета о поступлении от А. С. Норова.

Авт. пн.
1.
50.

ОТДЕЛ РУКОПИСЕЙ Гос. биб-ки СССР им. Ленина | Общее колич-во листов
№ поступления: Отчет за 1870-1872 стр. 57, 58 | 4 лл.

1 cm 21

Viro excellentiſsimo

Abrahamo Sergii filio Norovio

salutem!

Ineunte hoc anno, vir illustriſsime, opinionem de epocha impreſsionis et origine antiqui cujusdam calendarii quaerens, auctor mihi fuisti perscrutandi aliquot primae aetatis artis typographicae libros. Ita in exemplar incidi Ephemeridum astronomicarum, initio seculi decimi sexti editarum, in quo et titulus et primae paginae deerant, sed cujus margines per maximam partem operis notis manuscriptis tecti erant. Quum in his notis pluries urbis Frauenburgi mentio eſset facta et tempus conscriptionis, secundum data adjecta, id ipsum eſset quo summus Copernicus in hac urbe vixit, spes mihi orta est has notas de vita illius admodum ignota fortaſse aliquid novi nos edocere poſse. Qua spe incensus primum notas manuscriptas examini accuratiori subjeci, deinde vero ad con-

ГОСУДАРСТВЕННАЯ БИБЛИОТЕКА ... ОТДЕЛ РУКОПИСЕЙ

clusionem perveni, notas has, pro maxima parte, autographas eſse ipsius Astronomiae restauratoris.

Iam, si tibi placet, breviter exponam, quae de historia illius voluminis comperta habeam et quibus argumentis conclusionem allatam superstruere mihi visum sit.

Anno 1844 clariſsimus Simonovius, eo tempore Astronomiae in Universitate Casanensi profeſsor publicus, hoc rarum ephemeridum volumen donum obtulit Speculae Pulcovensi. Comparatione instituta cognovimus illud eſse exemplar operis qui inscribitur: „Ephemeridum opus Ioannis Stoefleri a capite anni 1532 in alios 20 proxime subsequentes annos elaboratum", Tubingae anno 1531 editi. Desunt titulus et prima duo folia, ceteris partibus et ipso involucro antiquo, ligneo, optime conservatis. Literis nuper e Cazana habitis mandatum nobis est cl. Simonovium librum hunc donum accepiſse a nobili Ruſso quodam, Schtschepotievo, cujus pater, ut dictum est, ad ſtudia mathematica excolenda, in Germaniam profectus, Berolini in domo Euleri vixerat et familiaritate ſummi hujus praeceptoris gavisus erat. In Roſsiam revertens hic vir volumen nostrum e Boruſsia, ut videtur, secum tulit; quomodo autem in ejus poſseſsionem pervenerit, ignotum est, neque historiam voluminis



ultra hanc migrationem retro ducere licet.

In autographo nostro duae partes sunt discernendae, videlicet notae in
… scriptae et textus magis continuus, qui in fine
… ni plures paginas, medio numero quatuor,
… n particularia quaedam de vita ſcribentis et ejus
… ravisſima ejus temporis facta historica; altera
… ex antiquioribus libris aſtrologicis, astronomicis
… et, additis nonnullis ipsius auctoris notis et
… a parte igitur indicationes de persona ſcribentis
… nnis rarae, ſufficiunt ad sequentes conclusio
… clesiastici ordinis, circa annum 1535 Frauenburgi
… ;
… c in Universitate Cracoviensi ſtudiis aſtrono
… operam navaſse;
… ſtudio astronomiam et medicinam amplexum eſse
… lebritatis astronomicae, ut ipsi observationes
… ominatem e Cracovia, in usum suum lite

A 1 R 2 3 G 4 B 5 6 TIFFEN M 8 W 9 Gray Scale G 10 11 K 12 13 C 14 15 B Y 17 M 18 19 © The Tiffen Company, 2007

clusionem perveni, notas has, pro maxima parte, autographas eſse ipsius Astronomiae restauratoris.

Jam, si tibi placet, breviter exponam, quae de historia illius voluminis comperta habeam et quibus argumentis conclusionem allatam superstruere mihi visum sit.

Anno 1844 clariſsimus Simonovius, eo tempore Astronomiae in Universitate Casanensi profeſsor publicus, hoc rarum ephemeridum volumen donum obtulit Speculae Pulcovensi. Comparatione instituta cognovimus illud eſse exemplar operis qui inscribitur: „Ephemeridum opus Joannis Stoefleri a capite anni 1532 in alios 20 proxime subsequentes annos elaboratum", Tubingae anno 1531 editi. Desunt titulus et prima duo folia, ceteris partibus et ipso involucro antiquo, ligneo, optime conservatis. Literis nuper e Cazana habitis mandatum nobis est cl. Simonovium librum hunc donum accepiſse a nobili Ruſso quodam, Schtschepotiovo, cujus pater, ut dictum est, ad ſtudia mathematica excolenda, in Germaniam profectus, Berolini in domo Euleri vixerat et familiaritate ſummi hujus praeceptoris gavisus erat. In Roſsiam revertens hic vir volumen nostrum e Boruſsia, ut videtur, secum tulit; quomodo autem in ejus poſseſsionem pervenerit, ignotum est, neque historiam voluminis



ultra hanc migrationem retro ducere licet.

In autographo nostro duae partes sunt discernendae, videlicet notae in marginibus ephemeridum scriptae et textus magis continuus, qui in fine ephemeridum cujusvis anni plures paginas, medio numero quatuor, implet. Prima pars tum particularia quaedam de vita ſcribentis et ejus amicorum exhibet, tum graviſsima ejus temporis facta historica; altera vero nonnisi transcripta ex antiquioribus libris aſtrologicis, astronomicis et cosmographicis continet, additis nonnullis ipsius auctoris notis et observationibus. Ex prima parte igitur indicationes de persona ſcribentis hauriendae sunt.

Notae personales, quamvis rarae, ſufficiunt ad sequentes conclusiones constituendas:

1. auctorem, ecclesiastici ordinis, circa annum 1535 Frauenburgi in Boruſsia vixiſse;

2. eum antehac in Universitate Cracoviensi ſtudiis aſtronomicis et astrologicis operam navaſse;

3. ipsum aequo ſtudio astronomiam et medicinam amplexum eſse

4. talis fuiſse celebritatis astronomicae, ut ipsi observationes aliunde habitae, nominatim e Cracovia, in usum suum lite

ris transmitterentur

5. familiaritate gavisum esse Tidemanni Gyzae, eo tempore Episcopi Culmensis.

Omnes hae de auctore indicationes egregie conveniunt cum admodum paucis illis notis, quae nobis de vita Copernici ab ejus biographis Gassendio, Sniadezkio, Czynskio ceterisque traditae sunt, atque vix dubium relinquunt, quin ipse Nicolaus Copernicus hujus autographi scriptor fuisset.

Fortius jam argumentum eo nanciscimur quod nusquam in illo manuscripto Copernici nomen reperimus. Certe enim mirandum foret quod in notis de rebus astronomicis agentibus et eo tempore conscriptis, quo Copernici nomen jam per totum orbem splendide fulsit atque nova ejus theoria omnium philosophorum oculos in se direxerant, nulla ejus nominis mentio sit facta; idque eo magis quod scimus auctorem in eadem urbe cum Copernico degentem ejusdem ordinis ecclesiastici fuisse, eadem studia persecutum esse. Atque ita in intimo nexu cum illo fuisse oportuit — nisi ipse Copernicus auctor fuit, qui de se in prima persona semper loquitur, sicut legimus "pluries expertus sum" „accepi calculationes" rel.

Allata hucusque argumenta, quamvis suppositionem nostram



de persona scriptoris prolatam maxime probabilem reddant, nondum tamen rem plane decidunt. Addam jam argumentum positivum, de cujus virtute tu ipse, vir illustrissime, pro intima tua antiquorum autographorum cognitione, summus mihi judex exstitisti. Similitudo nempe scripturae in nostro volumine exhibitae cum autographo Copernici, cujus facsimile in XXIX tomo Annalium Matheseos a cl. Crellio editorum exstat, pro opinione tua talis est, ut eundem scribentem certe indicet. Adscitis insuper argumentis supra allatis, nullum jam dubium subsistere potest, quin scriptor notarum, quae in nostro volumine in marginibus ephemeridum pro annis 1532 – 1538 inveniuntur, sicuti textus magis continui, qui in fine ephemeridum cujusvis anni legitur, ipse Nicolaus Copernicus fuerit.

Inde ex initio anni 1539 notae marginales alia manu sunt scriptae. Hinc concludendum est quatuor jam annos ante Copernici obitum, volumen nostrum in alterius possessionem transiisse. Levis suspicio sucedentem possessorem fratrem fuisse Nicolai Copernici, Andream, inde oritur quod in characteris generalis quaedam exstat similitudo et quod scriptor hic subsequens item ecclesiastici ordinis et dioecesis Warmiensis membrum fuit. Confirmatur haec suspicio partim eo

quod in margine ephemeridum pro anno 1542 notatum legimus: „pecuniam accepi a domino fratre de Frauenburgo".

Autographa Copernici perrara sunt. Hoc respectu igitur manuscriptum nostrum, plus quam octoginta paginas arctae scripturae amplectens, summi aestimandum est. De vita Copernici attamen ex illo volumine perpauca modo discimus et ne unam quidem notam invenimus majoris momenti, quae nondum ab ejus biographis publici juris facta sit.

Id vero hoc autographo probatur Copernicum astrologiam non prorsus, ut vulgo dicitur, sprevisse. Discimus e contrario maximo studio perlegisse et excerpsisse antiquiora de hac materie scripta, eaque cum propria experientia comparasse. Agunt autem haec studia praecipue de effectu siderum in statum aëris, et re vera nullam Copernicus videtur attribuisse sideribus vim in actiones et fata hominum, quum uno loco dicat illas a libera voluntate, haec a divina providentia pendere. Praeter illas investigationes, ut ita dicam, meteorologicas, transcripta ex antiquioribus libris astrologicis praecipue de effectu planetarum in aegrum statum corporis humani tractant, ideoque sunt potius argumenti medici. Quum hoc respectu pluries afferat, quae ipse expertus erat, credendus est Copernicus opinioni ejus tempore undique acceptae et partim etiam nostro seculo obviae, favisse, videlicet corpus aegrotans a positione siderum plus minusve affici.

Omnes, ni fallor, libri astrologici vel astronomici argumenti, Abrahami Avenezrae, Marsilii Ficini, Joannis Saxonii, Albumazari, Hali Abenrageli aliorumque, e quibus hic excerpta inveniuntur, typis impressi etiamnum exstant. Nescio an idem obtineat, quod attinet ad libros argumenti cosmographici vel geographici, quorum numerus autem multo minor est.

In toto fere hoc manuscripto Copernicus lingua latina usus est. Nonnullae insuper inveniuntur notae Germanice conscriptae, sed ne unum quidem verbum idiomatis Polonici.

Subjungo hic duas schedulas e fine voluminis nostri excisas, quas tua attentione, vir excellentisse, dignas aestimavi. Copernicus in prima pagina praesertim agit de effectu siderum in aëris statum, in secunda de regionibus unde comportantur aromata, in tertia de Geographia Rossiae et in ultima de Succino ejusque usu in medicina. Fragmentum hoc specimina igitur continet omnium ejus studiorum, qualia in reliqua parte autographi nostri inveniuntur. Accipias illud, quaeso, benigno animo, mihique favere pergas!

Summa cum reverentia
addictissimus tibi
Otto Struve

Scripsi
in Observatorio Pulcovensi
10 Maji 1852

АЯ ГОСУДАРСТВЕННАЯ БИБЛИОТЕКА